



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis  
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis  
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum  
Pastoribus perquàm utilis, & specialiter ...**

**Herlet, Johann Georg**

**Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.**

§. 9. Medium quintum ad puritatem & teneritudinem conscientiæ  
obtinendam est passionum inordinatarum edomatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37853**

tò prævalebit malæ; sicut tradit S. Joannes Climacus *Grad.* 4. dicens: *Consuetudo plurimum valet, & cuncta ex eâ pendent, eamq; sequuntur: omninò longè amplius valebit in bonis; cum potentissimum habeat adiutorem Deum.*

80. Porrò an profectum aliquem in extirpatione vitiorum sive habituum vitiosorum & malarum consuetudinum fecerimus; colligere possumus ex sequentibus: *primò*, si minorem jam inclinationem sentiamus ad peccata & actus malos, quàm antea experiebamur. *Secundò*, si positivam difficultatem, ad actus malos exercendos in nobis experiamur, & econtrà facilitatem ad actus virtutis oppositæ sentiamus. *Tertiò*, Si quandam quasi naturalem nauseam omnium actuum pravorum, ad quos antea inclinabamur, in nobis sentiamus. *Quartò*, Si moralem quandam impossibilitatem ad actus vitiosos sentiamus: quomodò sensit ille, qui dixit: *Quomodò possum hoc facere, & peccare in Deum meum? Genes. 39.*

S. 9.

*Medium quintum ad puritatem & teneritudinem conscientie obtinendam est passionum inordinatarum edomatio.*

81. **P**ost vitia extirpata & pravos habitus eradicatos transeundum est ad edomationem seu refranationem & moderationem *passionum*

L 5

no-

nostrarum inordinatarum: *perfectus enim quisque* sive potius Studiosus perfectionis, cum in se ipsa vitia vicerit, statim etiam mentem contra vulnera passionis accingit; ut inquit S. Gregorius lib. 6. moral. c. 8. quia juxta S. Thomam quodl. c. 24. puritas mentis sita est in eo, ut mens hominis à passionibus inordinatis sit libera. Non tamen requiritur à Novitiis, ut ipsi ante professionem acquirant dominium suarum passionum tam perfectum & plenum, quale à professis & in gradu proficientium constitutis exigitur: Sed eis sufficit, si per frequentem ac sæpè iteratam passionum suarum refrenationem & suppressionem acquisiverint habitum, eas ita cohibendi & moderandi, ut per illarum vehementiam & impetum non amplius præcipitentur in peccatum aliquod contra Dei vel Ecclesiæ præceptum; aut in transgressionem Regulæ, vel statutorum Ordinis sui. Gradus enim *incipientium*, qui est Novitiorum, plus non requirit, quam ut in eo constituti acquirant eam puritatem & ténéritudinem conscientiæ, quæ excludat & horreat omnem plenè voluntariam & deliberatam Præceptorum Dei & Ecclesiæ Regulæque & Statutorum violationem.

82. Definitur autem passio à S. Joanne Damasceno apud D. Thomam 1. 2. q. 22. a. 3. *Quod sit motus sensibilis seu sensitivus appetitivæ potentie, ob imaginationem boni vel mali.* Dicitur *motus*: ira enim actus sensitivi appetitus vocat S. Augustinus lib. 9. civitat. c. 4. & lib. 14. c. 7. 8. & 9. Item S. Gregorius Nyssenus  
Disput.

*Disput. de Animâ & Resurrect.* Qui eosdem etiam nominant Animæ affectus, & affectiones, perturbationes & passiones; quia dum exurgunt, patitur per eos aliquid corpus humanum, præsertim cor; in quo est sedes appetitus sensitivi; videmus enim homines passionatos, & vehementibus passionibus obnoxios talem pati sensibilem alterationem; ut eam nec foris occultare & celare possint; Sed eam in vultu, colore, & gestu omnibus prodant. Sic amantes palent; quia amor est passio læsiva amantis & immutatio quædam materialis, uti docet S. Thomas. 1. 2. q. 28. a. 5. De metu ait Aristoteles sect. 27. problem. q. 6. quod voce, & manibus, & labro inferiore tremant, qui metuunt. De ira dicit S. Gregorius lib. 5. moral. c. 31. quod ira stimulus accensum cor palpitat, corpus tremat, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi. Et Cicero lib. 1. Officiorum. Ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliquâ, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimîâ gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, statusq; mutantur. Et sic de cæteris passionibus

Dicitur præterea passio esse motus appetitivæ potentia, id est, appetitus sensitivi; qui nihil est aliud, quàm facultas quædam insita in inferiore hominis portione, scilicet corde, vel juxta aliquos in corde & hepate existens; quæ pro suo proprio objecto habet bonum, aut malum sensibile, illi per imaginationem repræsentatum, tanquàm conveniens, vel inconveniens homini. Unde & dividitur in appetitum concupiscibilem, & ira

& irascibilem. Concupiscibilis, qui teste Galeno & aliis præcipuè residet in hepate, movetur erga bona, quæ apprehendit sibi esse convenientia, & fugit sibi contraria; habetque sex passiones, tanquam actus sibi proprios, videlicet *Amorem, Odium, Desiderium seu Concupiscentiam, Fugam seu Abominationem, Delectationem seu Gaudium, Tristitiam, seu Dolorem*, Irascibilis, qui teste eodem Galeno residet in corde, exurgit & pugnat contra objecta habentia difficultates occurrentes in bonorum consecutione, & in malorum fugâ; habetque passiones quinque, tanquam actus suos proprios, videlicet *Spem, Desperationem, Audaciam, Timorem, & Iram seu Indignationem*.

82. Porrò omnes hæ undecim passiones sunt à Deo authore naturæ insitæ homini non in malum & perniciem ipsius, sed in bonum & utilitatem; ut iis tanquam instrumentis utatur ad appetenda & quærenda naturæ suæ convenientia, fugiendaque ei disconvenientia, & consequenter ad conservationem naturæ humanæ; imò & ad bonum spirituale animæ, ut illi subserviant in exercitio virtutum; uti docet S. Gregorius Nyssenus *Disput. de Animâ & Resurrect.* dicens: *πάθη, id est affectus, passiones, sive perturbationes, & motus dicuntur, quæ non omninò mali alicujus causâ, humanæ naturæ contributa sunt: sed certo quodam usu voluntatis, & arbitrii, vel virtutis, vel vitii instrumenta tales animi motus existunt.* Et S. Basilius *constit. Monast. c. 3.* *Neque temerè tributæ corpori appetitus*

*tus sunt; sed ut ad res aliquas prorsus utiles es-*  
*sent & commodi. Quia tamen frequenter hu-*  
*jusmodi affectibus & motibus abutimur ad cor-*  
*poris & animæ nostræ perniciem, habenas illis*  
*nimiùm laxando, & indulgendo, ita ut non tan-*  
*tùm circa objecta de se indifferentia & licita ap-*  
*petenda committant excessum; sed etiam in il-*  
*licita, & divinâ humanâque lege prohibita ob-*  
*jecta non rarò ferantur. Hinc Deus in S Scri-*  
*pturis nos admonet, ut eos rectæ rationis fræno*  
*moderemur, ait enim Eccl. 18. Post concupiscen-*  
*tias tuas non eas; & à voluntate tuâ avertere. Si*  
*præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te*  
*in gaudium inimicis tuis. Et Genes. 4. Quare*  
*iratus es, & cur concidit facies tua? sub te erit*  
*appetitus, & tu dominaberis illius. Item Psalm.*  
*31. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non*  
*est intellectus in chamo & fræno maxillas eorum*  
*constringe. Et Rom. 8. Debites sumus non car-*  
*ni, ut secundùm carnem vivamus: si enim secun-*  
*dùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu*  
*facta carnis mortificaveritis, vivetis. Denique*  
*Galat. 5. Spiritu ambulate: & desideria carnis*  
*non perficietis: Qui enim sunt Christi, carnem*  
*crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Quod*  
*idem monent etiam discipulos & Tyrones suos*  
*Magistri Spirituales; ac imprimis S. Basilius con-*  
*stit. Monast. c. 3. ubi ait: Principiò omnis in eo*  
*adhibenda cura est, ut animi agitatio in officio re-*  
*tineatur; quod assequemur, si eam mentis impe-*  
*rio subjiciemus, quæ ipsa mens diligentissimè ob-*  
*servans provideat, nè à recto animus sutiliter ab-*  
*erret,*

erret, nevé à trahentibus ipsum in diversam partem corporis affectionibus pravus pravegratur. Et serm. 2. de institut. Monachor. Illud caput est, & in quo præcipue Christianus laborare debet, vitiosas animi affectiones diversas ac varias, quibus illius anima infici solet, à se segregare. Item constit. Monast. c. 8. Perturbatos animi sui appetitus motusq; excutere diligenter debet, usq; magna cum animi contentione obluctari, & quæ in eo incondita viderit ac perturbata, ea melioribus consiliis in ordinem redigere, atq; sedare: sedata siquidem animi & quieta constitutio, virtutis est argumentum certissimum. Quibus verbis S. Doctor etiam generale quoddam remedium omnibus passionibus inordinatis sanandis aptissimum tradit, nempe ut illis magnâ cum animi contentione obluctemur, partim eas in principio statim, dum surgunt, & antequam iuvaliscant, fortiter retundendo & reprimendo; partim etiam contrarios illis actus heroicis virtutum opponendo; ac non solum illicita, quæ concupiscunt, denegando; sed præterâ appetitum sensitivum ad ea, à quibus maximè abhorret, inclinando. Dixi, hoc esse remedium generale: Nam specialia media particulares & magis frequentes in Novitiis passiones moderandi, explicabo

infra.

\* \* \*

§. 10. De